

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 6502

**Autre(s) référence(s) :** Bates 150

**Auteur(s) :** Guillaume Ier le Conquérant, Angleterre (roi)

**Bénéficiaire(s) :** Gand, Saint-Pierre (abbaye)

**Genre d'acte :** diplôme

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1081

**Action juridique :** donation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Guillaume [Ier], roi d'Angleterre, donne divers biens en Angleterre à l'abbaye Saint-Pierre de Gand.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Bates David, *Regesta Regum Anglo-Normannorum*, the Acta of William I (1066-1087), Oxford, Clarendon Press, 1998, n° 150, p. 497-503.

### Indications

Round John-Horace, *Calendar of Documents Preserved in France, Illustrative of the History of Great Britain and Ireland*, 918-1206, Londres, Her Majesty's Stationary Office, 1899, n° 1375. Davis Henry William Carles, *Regesta Regum Anglo-Normannorum, 1066-1154*, vol.1, *Regesta Willelmi Conquestoris et Willelmi Rufi, 1066-1100*, Oxford, Clarendon Press, 1913, n° 141.

Texte établi d'après a

In nomine sancte et individue Trinitatis. Ego Will(elmu)s divina disponente misericordia rex Anglorum et dux Normannorum, omnibus successoribus meis regibus, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, comitibus, optimatibus, cunctisque fidelibus qui sub ditione mea sunt, clericis et laicis, salutem eterne felicitatis et pacis. Quoniam omnibus quos in regni solio Christi sublimavit misericordia propositum constat de celesti patria et de animarum salute suarum cogitare, in communem iusticiam diligere, equum iudicare, omnibusque quibus presunt recte consulere, necessarium utique et valde utile est, ut et nos quos eadem gratia sublimavit, ea quibus illi placere valeamus indesinenter exerceamus. Fideles etenim nos Dei esse cultores cunctis ostendimus, si pia nos affectione Dei honore et reverentia sanctarum ecclesiarum solliciti esse volumus, et in eis constitutiones et decreta predecessorum nostrorum et mandata inviolabiliter observemus, et iura sanctorum cenobiorum et possessiones nostre auctoritatis vigore roboremus. Quocirca antecessorum meorum piam benevolentiam considerantes, atque illos in hoc fideliter sequentes pro redemptione anime mee atque pie memorie regis Edwardi cognati mei, et heredum meorum salute, concedimus, damus Deo et ecclesie beati Petri de Gant et abbati Euerelmo, viro religioso, venerabilibusque eiusdem loci fratribus, tam presentibus quam succedentibus, manerium de Leuesham cum omnibus ad se pertinentibus, videlicet Grenewich, Wolewich, Modingeham et Cumbe, ita solute, libere et quiete in perpetuum, sicut rex dulcissime mentionis Edwardus, cognatus meus, eisdem votive ea contulit, atque regali munimento adversus cupidorum insidias insignivit undique premunivit, et sicut ea etiam quondam Ælfstrudis, sanguine regio edita quam comes Flandrensis Baldewynus calvus in uxorem ab Anglia duxit, pro sua et pro comitis domini sui atque filiorum

suorum Ærnulfi et Adeldulfi animarum salute, eidem ecclesie multo ante, sicut suum ius proprium hereditarium libere dedit et concessit. Terras etiam predictis maneriis adiacentes infra forestam meam que Andrede nuncupatur, videlicet Æschore, Essehaga, Wygendenne, Scarendenne, Sandhryse, ad domos suas reficiendas et cetera sua negocia complenda, illis concedo atque confirmo. Sed et infra London(iam) terram quam rex Edwardus eis dedit et confirmavit, partem scilicet de Wermann Acra cum whervo quod ad eandem pertinet, et cum suis nundinalibus et locis mercatoriis, cum seldis et scoppis et redditibus suis, cum consuetudinibus et rectitudinibus suis, et cum theoloneo atque whervagio suo, sicut ecclesie eidem ipse rex instituit, sic illis concedo et mea corroboracione regia confirmo. Simili vero adhuc donativo hiis addidi, ut omnes mercatores noti vel ignoti, incole aut advene, huius vel alterius cuiuscunque patrie, qui temporibus mei predecessoris regis descenderunt vel applicuerunt ad hospitandum in soca, vel in seldis seu whervo sancti Petri de Gant, ad easdem deinceps revertantur, et ibi sint bene et quiete et honorifice, et firmam pacem meam habeant, in eundo et redeundo, et defendo quod nemo vicecomitum, procuratorum, exactorum vel ministrorum meorum eis inquietus aut infestus sit ullo tempore, per ullam occasionem. Et si quis fidelium amodo in sepedicta urbe ecclesiam aut domum vel terram, pro salute anime sue illi dederit, volo et concedo ut sic eas liberas et solutas et quietas possideat, sicuti illas quas melius et plenius et liberius habuerat temporibus prescripti regis.

Unde itaque ad laudem et gloriam omnipotentis Dei, et in honorem et exaltationem et tuitionem prefate ecclesie sancti Petri de Gant, summi apostolorum principis concedo et firmiter precipio, ut sanctus Petrus et monachi eiusdem ecclesie bene et pacifice, quiete et honorifice, in urbe et extra teneant omnes terras suas prenominatas et homines, aquas, aquarum decursus, molendina, prata, pascua, segetes, paludes, piscationes, piscarias, silvas, venaciones, et omnia sua libera ab omni regia consuetudine, et ab omni collectione census, que geld vel danegeld seu scot anglice nominatur. Insuper etiam pro remissione delictorum meorum atque parentum meorum, et pro statu regni mei, atque filiorum meorum eorumque successorum salute et prosperitate, et pro salute anime supranominati pii regis Edwardi, cognati mei, eos quietos clamo ab omnibus placitis et querelis et sciris et hundredis, de murdris, et latrociniiis, de pontium reconstructione vel furis apprehensione, et ab omni expeditione et exactione, et ab omni castelli seu quocumque servitio servili aut opere, seu angaria regalium aut episcopalium ministrorum, et ab omni etiam aliarum qualiumcumque causarum occasione, et ab omnibus legibus et consuetudinibus regalibus que ad me pertinent. Concedo igitur eis in omnibus prenominatis terris suis donationes et consuetudines in carta prefati regis anglice scriptas, quas et idem rex benignus eis donavit et concessit, scilicet mundbrice, infangeneðeof, mischennyng, uthleap, ferdwyte, wardwyte, blodwyte, hleastyng, sceawynge, hamsocne, forstal, saca et socna, toll et team, aliasque omnes leges et consuetudines que ad me pertinent, in urbe et extra, in aqua et extra, in via et extra, in festo et extra, tam plene et tam libere sicut eas habebam in manu mea. Preterea concedimus et confirmavimus, renovantes ac statuantes ut omnia que ad ipsam beati Petri de Gant pertinent ecclesiam, sint omnino libera, terre culte et inculte cum exitibus atque redditibus, celle, ecclesie, cimiteria, decime, redditus, servitia, debita, oblationes, luminaria, causarum discussiones, emendationes, aut ecclesiastice vel seculares, et cuncta que idem monasterium a sui principio usque ad presens liberalitate atque concessione, tam regum quam pontificum aliorumque principum, atque oblatione fidelium optinuit, vel in futurum optinebit, nostre auctoritatis presentis privilegio, nullis ea umquam perturbationibus violanda, sed rata et integra regie confirmationis deinceps libertate munita, perpetuis decrevimus manere temporibus. Cunctis igitur hec servantibus sit hic pax et gaudium et in futuro cum Christo munus eternum. Non servantibus autem divinum hic et in futuro sibi sentiant eminere iudicium, nisi sancto loco satisficientes digna penitentia illa iuste defleverit illicite acta. Nam decet quidem nos fidei pietate predecessorum nostrorum regum decreta ac dona insignia ut in perpetuum consistant inviolata custodire, quatenus ea que nos votive pro nostra et eorum omniumque salute sanccimus, inviolabiliter a posteris nostris conserventur, et per hoc divina miseratio servantibus succurrat. Anno dominice incarnationis mill(esimo) lxxxio scripta est hec carta, et ab excellentioribus regni personis testificata et confirmata. In nomine Domini feliciter. Amen.

+ Ego Will(elmu)s Dei gratia Anglorum rex hoc preceptum iussi scribere et scriptum signo dominice crucis confirmando impressi. + Ego Matildis regina confirmavi. + Ego Lanfrancus archiepiscopus. + Ego Thomas archiepiscopus. + Ego Odo episcopus. + Ego Gosfridus episcopus. + Ego Hugo London(ensis) episcopus. + Ego Walkelinus Winton(iensis) episcopus. + Ego Remigius Lincoln(ie) episcopus. + + Ego Wolstanus Wigorn(iensis) episcopus. Ego Gundulfus Rofen(sis) episcopus. + Ego Osmundus Saresberens(is) episcopus. + Ego Petrus Cestrens(is) episcopus. + Ego Robertus regis filius. + Ego Mauritius cancellarius relegi et sigillavi. + Ego Scodlandus abbas. + Ego Wuluoldus abbas. + Ego Aynoldus abbas. + Ego Roger(ius) comes. + Ego Hugo comes. + Ego Alan(us) comes. + Ego Rob(ertus) comes. + Ego Rob(ertus) de Bellomonte. + Ego Hugo de Monteforti. + Ego Ricard(us) Gilleberti comitis filius. + Ego Baldewyn(us) frater eius. + Ego Henr(icus) de Ferrariis. + Ego

Walter(us) Giffard. + Ego Hugo de Grante Maisnil. + Ego Gosfridus de Magna villa. + Ego Roger(ius) Bygod. + Ego Rob(ertus) de Oleyo. + Ego Hamo dapifer. + Ego Yuo Taillebosc. + Ego Petr(us) de Ever'. + Ego Eustachius comes. + Will(elmu)s regis filius. + Will(elmu)s filius Osberti. + Walter(us) de Gant. + Rad(ulfu)s Bain(ard). + Algarus Horn, Deormannus, Leofstanus et Afwardus Grossus de London' et Kypping de Wynton'.